



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1351 usque ad annum 1414

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118278

§. 40. Scelera Lollardorum in Anglia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66293](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66293)

Sæcul. XIV. manam donaturum esse purpuram: si
 A. C. 1387. hunc declararet, illum se istius arbitrio
 prorsus permiffurum. Cum Florentinos
 egregiis ornassent laudibus, inter alias
 magni momenti res spondebant fore, ut
 Clemens eos constitueret suos Vicarios
 in propinquis Ecclesiæ terris, quarum re-
 ditus asservarent; donec decisa per Con-
 cilium causa esset. Florentiæ Magistra-
 tus post consultationem sedulam respon-
 debant: De concilio agere non est no-
 strum, sed potentiorum nobis Regum, &
 Principum, a quibus id postulabimus.
 Cæterum a Papa, quem huc usque agno-
 vimus (is erat Urbanus) non rescisce-
 mus, donec Ecclesia, vel Concilium de-
 creverit alium. Ita Clementis Legatos
 dimisere.

§. XL.

Scelera Lollardorum in Anglia.

Erat in Anglia Carmelita quidam Gual-
 terius Diffus vocatus, qui Lancastræ
 Duci a Confessionibus fuerat, & cui Papa
 Urbanus magna contulerat privilegia, ra-
 tus fore, ut ille hunc Principem ad sce-
 ptrum Castiliæ aspirantem sequeretur in
 Hispaniam. Dux reipsa eam petiit: sed
 Gualterius in Anglia remansit, ubi pro
 pecunia distribuebat gratias ab Urbano
 Duci Lancastræ concessas. In harum
 nume-

Th. Valsing.
 p. 327.

numero quædam fuit, quæ certatim, & ^{Sæcul. XIV.} pluris emebatur, nempe facultas crean- ^{A. C. 1387.} di Præfectos facelli Papæ pro more Romanæ Curiaë. Gualterius istum titulum impertiit inter alios cuidam Augustiniano Petro Pareshullio, qui libertatis genus omne sic adeptum se putans coepit jungere se Lollardis, seu Wicleffistis, quos Londinum jam plurimos numerabat. Aiebant deferendam ei religionem singularem, ut rediret ad vitam communem, utpote perfectiorem, tutioremque. Tum illorum persuasum concionari Petrus, & Ordinis sui vitia pervulgare. Hoc in Londinensi templo S. Christophori fecit Lollardis ferme centum stipatus, & Augustinianos tot criminum incusavit, ut audientes horror incesferet.

Mox currebant aliqui, ac rem his Fratribus indicabant: quorum duodecim animis ferventiores adibant templum, ubi Pareshullius adhuc verba faciebat. Unus ex illis accedit fortiter, ac mentiri eum dicit. Lollardi Fratrem impetunt, prosternunt, proterunt, multis ictibus affligunt: cæteros quoque Fratres pellunt, extra templum insequuntur, ut perimant: cœnobicia eorum incendere statuunt, atrociter clamantes: Liberemus orbem ab his sicariis! mactemus hos infames, hos Regis, regni-que proditores! Sed modesto illos alloquio morabantur Fratres Thomas Ashbur-

E e 4 nius,

Sæcul. XIV.
A. C. 1387.

nius, & hujus comes, ambo Theologiæ laurea, & virtute præditi. Supervenit etiam quidam Pro-Comitum Londinensium, qui compresso furentium impetu effecit, ut domos redirent suas.

Abducto interim Petro Pareshullio, cujus sermo interruptus fuerat, suasere Lollardi, ut scripto mandaret, quæ protulisset, omnia, & quæ præterea posset cognoscere. Paruit: Augustinianos scripto de cæde Fratrum sociorum arguit: quo majorem faceret fidem, nominavit interfectores, ac necatos: retulit, ubi cæsi, ubi humati essent. Insuper fratres plurimum aliorum facinorum immanium insimulavit. Hoc scriptum affixit portæ Londinensis templi cathedralis. Initio agebat: Egressus e nido diaboli, ac per Dei gratiam rationem vitæ perfectissimam affecutus veritatem tueor. Quapropter improbi, quos reliqui, me multis vexarent modis, si capere me possent. Deinde Papæ Urbano gratias agebat, quod esset ab eo assertus in libertatem, & in statu positus, per quem effugere manus hostium suorum sibi licuisset. En usum honoris, quem sibi gratulabatur pulcherrimus Præfectus sacelli pontificii!

Valsing.
p. 540.

Defendebant eum maxime viri nobiles, qui vocabantur Cucullati, quod capitia sua neminis causa, & ne augustissimo quidem coram Sacramento deducerent.

Hi

Hi erant Wicleffistarum propugnatores Sæcul. XIV.
A. C. 1387.
 præcipui. Unus ex iis Joannes Montacutinus e facello suo asportatas, quas ejus majores ibi erexerant, effigies omnes in locis occultis posuit, unicam S. Catharinæ imaginem illic conservans. Alius quidam nomine Laurentius Martinofanensis SS. Hostiam, quam pridie Paschatis acceperat, ex ore prolatam manu tenens in ædes detulit suas neglectis monitionibus sequentis se Sacerdotis. Denique partem ejus cum ostreis, partem cum cepis comedens negabat eam plus valere quam panem domesticum. Joannis Montacutini facello præfectus proximus morti, ac erroris sui poenitens poscebat Sacerdotem, cui noxas detegeret suas. Sed ejusdem sectæ homines inquebant: Confessio externa est inutilis: confitere Deo, ligandi, solvendique potestatem præ Sacerdotibus habenti! Ita, quidquid dicebat, decessit expers Sacramentorum.

§. XLI.

Wicleffus moritur.

Annos abhinc duos Joannem Wicleffum *Valsing.*
 horum malorum omnium authorem p. 322. 539.
Cave ap-
pend. p. 358
 nervorum stupor corripuerat. Die S. Thomæ Cantuariensis 29. Dec. 1385, cum in templo suæ parœciæ Lutervortinæ ad populum diceret, distorti os ejus, sup-
 E e 5 primi